



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

Quo loco recitandum sit, & quo corporis habitu & situ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**



potest Tertiam prosequi cum intentione recitandi poli-  
Matutinum, vel Primam. *ibid. punct. 4. num. 2. & seq.*

67. Peccatum mortale non committitur, secluso con-  
temptu & scandalo, non solum dum pervertitur ordo horarum  
Canonicarum inter se, verum etiam dum pervertitur ordo  
ejusdem horæ, dicendo Psalmum ante Hymnum, aut unum  
Psalmum ante alium; imò si fiat ex justa causa, excusatur  
ab omni peccato. *ibid. num. 5.*

Qui ex oblivione dixit officium de Sancto quod dice-  
dum erat de feria, satisfacit repetendo ommissa, quamvis non  
repetat illa, in quibus utrumque officium convenit. Item  
qui aliquem Psalmum, vel aliquam horam ex oblivione om-  
isit, non tenetur recitare totum officium, ut Psalmum vel  
horam suo loco dicat, sed satisfacit supplendo ommissum.  
Item qui inter recitandum advertit se aliquid omisisse, po-  
test prosequi usque ad finem, & postea ommissum recitare,  
*ibid. num. 6. & seq.*

68. Qui in choro aliquid omisit culpabiliter vel inculp-  
biliter, non debet ommissum repetere durante officio in cho-  
ro: sed potius debet illud reservare, post expletum officium,  
aut si pars illa parva sit, non debet de ea curare. *ibid. num. 9.*

69. Qui recitans divinum officium non amplius memi-  
nit an Psalmum antecedentem recitaverit; tenetur Psalmum  
repetere, nisi dubium practicè deponat. *ibid. n. 10.*

70. Celebrans Missam nondum recitato Matutino, mor-  
taliter non peccat; imò neque venialiter justa concurrente  
causa; quia quod justa de causa fit, rationabiliter & pro-  
cedenter fieri dicitur. *ibid. n. 11.*

*Quo loco recitanda sint hora Canonica, & quo  
corporis habitu & situ.*

71. Canonici ceterique choro deputati divinum officium  
in Ecclesia juxta institutionem beneficiorum & consuetu-  
dinem persolvere debent, nisi aliud cogat necessitas, consue-  
tudo vel fundatoris institutio: qui vero ad chorum, seu ad  
officium in Ecclesia persolvendum deputati non sunt, divi-  
num officium ubique recitare possunt, modo non recitent  
in loco indecenti, aut ubi impediatur attentio, v. g. frequenti  
hominum conventu, clamore, tumultu & strepitu protano.  
*ibid. punct. 5. num. 1. 5. & 6.*



72. Consuetudine immemorabili induci potest, ut Canonici qui habent tenues redditus, non teneantur singulis diebus choro interesse. *ibid. num. 14.*

73. In privata oratione non committitur peccatum, per se loquendo, dum recitans officium sedet, dum standum, vel genuflectendum est; in publica tamen oratione facilius inveniri potest culpa stando vel sedendo dum genuflectendum est. *ibid. punct. 6. nu. 1 & 2.*

74. Canonici cogi possunt ad recitandum officium in proprio choro, & cum decenti habitu sub pœna amissionis distributionum. *ibid. n. 3.*

*Fructus & effectus recitationis officii.*

75. Ut officium nomine Ecclesiæ recitetur, opus est, ut verba proferantur cum intentione & attentione, atque ut recitans non sit evitandus; ut autem officium nomine proprio celebratum prosit ipsi recitanti quoad satisfactionem & meritum, vel etiam quoad satisfactionem aliis, opus est ut in statu gratiæ recitetur, cum oratio facta in peccato prosit tantummodo si spectetur quatenus nomine Ecclesiæ offertur, Ecclesia supplente tunc defectum recitantis; & licet oratio peccatoris non sit meritoria de condigno, neque satisfactoria, tamen est impetratoria, quia Deus peccatores aliquando exaudit, & plurima bona confert, ut patet in Publicano. *ibid. quest. 4. punct. 1. num. 2. & seq.*

76. Recitatio divini officii quoad fructum infinita est extensive, prodestque omnibus fidelibus, si fiat ab eo qui ex Ecclesiæ præcepto vel consuetudine divinum officium recitare debet; quod si divinum officium ex mera recitantis voluntate recitetur tamquam à persona privata, prodesse solum videtur ipsi recitanti, & iis quibus ipse officii fructum applicare intendit, instar aliarum precum quæ ex privata devotione funduntur. Dicendum ergo officium prodesse omnibus, si recitans pro omnibus orare intendat, modo illi pro quibus orat, nondum sint in termino, ut sunt beati, sed illum assequi possint, ut sunt fideles viatores, quod facere non possunt damnati & reprobis. *ibid. punct. 2. num. 2. & seq.*

77. Recitatio divini officii non prodest ex opere operato, sed operantis, quia non prodest ultra meritum Ecclesiæ cuius nomine offertur. *ibid. num. 11.*

*Præ-*